



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

12 Striges effectualiter de loco ad locum corporaliter deferri an poßint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

quæcunt & ideo Sancta Ecclesia à tali pe-  
ste mundari debet, *cap. quis sine Salvato-  
re, 26. quest. 2. cap. Episcopi, in princ.  
eadem quest. 5. & Gril. lib. 2. de sortileg. q. 7.  
numer. 4.*

12 † Quapropter à dæmonibus effectuali-  
ter deferri possunt de loco ad locum motu  
locali verè, & corporaliter, Deo tamen  
permittente, & non aliter, & hæc est com-  
munis sententia theologorum, de qua post  
S. Bonav. *in 3. sent. distinct. 19. quest. 3.*  
S. August. *in lib. 20. & 21. de Civit. Dei*  
S. Thom. *in sum. 22. quest. 95. art. 5. in tit.  
de superst. & in dict. tract. 99. primæ part.  
quest. 8. in tit. de mira. & quest. 16. artic. 5.  
& 6. in tit. de demon. & alios, quos citat,  
testatur. Gril. lib. 2. de sortileg. dict. qu. 7.  
numer. 3. Alphons. Castr. de just. heret.  
punit. lib. 1. cap. 16. & Pegn. in Direct. In-  
quisit. part. 2. com. 68. vers. sed à maligno; Et  
licet huic communi opinioni videatur re-  
pugnare text. in dict. cap. Episcopi, 26. qu. 5.  
ubi habetur, quod quædam sceleratæ  
mulieres retro post satanam conversæ dæ-  
monum illusionibus, & phantasmatis,  
tam graviter seductæ sunt, ut credant, &  
profiteantur se cum Diana Dea paga-  
norum, nocturnis horis, vel cum Hero-  
diade, vel cum innumera multitudine  
mulierum equitare super quasdam bestias, 13  
& multarum terrarum spacia intempestæ  
noctis silentio pertransire, ejusque iussio-  
nibus obedire, velut dominæ, & certis no-  
ctibus ad ejus servitium evocari. Et  
*in §. si quidem ipse satanas* habetur, quod  
dæmon ubi primùm mentem cujuscua-  
que mulieris reperierit, & illam per in-  
fidelitatem subjugaverit, illico transfor-  
mat se in diversarum species personarum,  
& mentem, quam captivatam tenet, in*

somnis deludens, per quæque divia dedu-  
cit, & cum solus spiritus hæc patitur, in-  
fidelis hæc non in spiritu sive anima, sed  
in corpore evenite opinatur. Ac deinde,  
quis enim in somnis, & nocturnis visio-  
nibus non extra seipsum deducitur, & mul-  
ta videt dormiendo, quæ nunquam vigi-  
lando viderat? Quis verò tam stultus,  
& hæbes fit, qui hæc omnia, quæ in sole  
spiritu fiunt, etiam in corpore fieri ar-  
bitretur?

Unde hoc tex. freti quamplures docto-  
res tenuerunt, quod non deferuntur in cor-  
pore, sed duntaxat deluduntur in spiritu,  
ut refert Gril. *ead. qu. 7. in princip. & tenet  
Franc. Ponzonib. in tract. de lam. num. 45.  
& plurib. seq.*

Communem tamen opinionem ef-  
se quod deferantur, & contrarium  
sentientibus, pluribus rationibus respon-  
det, idem Gril. *eadem quest. 7. numer. 28.*  
quem post alios per ipsum citatos sequitur  
Pegn. *eadem com. 68. vers. tertio eadem.* Et  
quod dæmones Deo permittente, possint  
hominem deferre verè & corporaliter  
de loco ad locum motu locali, pluri-  
mis exemplis relatis tam per eundem Gril.  
quàm alios graves doctores demonstrare  
conantur.

Sortilegiorum † causæ eo modo, quo  
causæ hereticorum, tam in procedendo,  
quam definiendo spectant ad forum Epi-  
scoporum, & Inquisitorum, quando sapi-  
unt hæresim: & tunc eadem pœna, qua  
ceteri de hæresi suspecti sunt condemnan-  
di. Sed, quando non sapiunt hæresim, &  
est dubium, in aliqua admista hæresim  
sapiant: ut si qui ad orientem se conver-  
tant, aliqua verba iausitata, & non intel-  
ligibilia proferant, vel similia: tunc vide-  
tur,